

impietatis euacuant. quiaut heliam. aut hieremiam. aut unum ex prophetis. christum esse dixerunt. Habuit ista vox coenum. habuit ista vox spinas. Dum alii hoc lauant coenum. dum in alius enodantur haec spinae. vox nostra filium dei christum resultat. et mihi purus est sermo. cui nullas spinas expressa reliquit impietas. Hic est ergo petrus. qui respondit praeceteris apostolis. immo praeceteris. et ideo fundamentum dicitur. quia nouit non solum proprium. sed etiam commune seruare. Huic ad stipulatus est christus. reuelauit pater. Nam qui ueram generationem loquitur. a patre id sumpsit. non sumpsit ex carne. fides ergo est ecclesiae fundamentum. Non enim de carne petri. sed de fide dictum est. quia portae mortis ei non preualebunt. Sed confessio uicit infernum. et haec confessio. non unam heresim excludit. Nam cum ecclesia. multis tamquam bona nauis fluctibus. sepe tundatur. aduersus omnes hereses. debet ualere ecclesiae fundamentum. Dies me citius defecerit. quam nomina hereticorum. diuersarumque sectarum. Aduersus omnes tamen. generalis ista est